e-codices

Exultate: id est corde et corporis gestu gaudete, non in propriis huius saeculi, non in diuitiis, sed in domino. Rectos decet laudatio. Recti sunt qui se totum deo subdunt, qui se ad praecepta eius implenda ex animo praeparant, et qui non aliud in ore loquuntur praeter quod gerunt in corde. Alii enim non recti sed praui et distorti esse. Potest etiam hoc et contra hereticos dici, qui non sunt recti, quoniam regulam rectae fidei deprauant, atque ideo non eos decet laudatio, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Confitemini domino in cythara. Cythara instrumentum musicum trium cordarum. In cythara enim confiteri est fidem sanctae trinitatis unumquemque firmo corde tenere, atque se in cogitatione, locutione et opere custodire. Cythara enim ab inferioribus resonat, et dicitur cythara quasi cita iterata. Per cytharam ergo actualis uitae opera designantur, cum esuriens pascitur, sitiens potatur, nudus uestitur, et cetera misericordiae opera quae tantum in hac uita necessaria sunt peraguntur. In psalterio decem cordarum psallite illi. Psalterium decem cordarum decalogum legis debemus accipere. Psalterium enim a superioribus resonat, et illa decem praecepta a deo mortalibus data sunt obseruanda. Ille ergo decem cordarum in psalterio psallit, qui decem legis praecepta adimplet, diligendo dominum ex toto corde et ex tota anima, et proximum sicut semet ipsum. Cantate ei canticum nouum. Canticum nouum est noua euangelii praedicatio. Natiuitas uidelicet Christi ex uirgine, mira enim passio et resurrectio. Hoc est enim canticum nouum et sedis mandatum, uirginem quoque peperisse et illibatam permansisse. Unde et angeli in Christi natiuitate canebant: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae uoluntatis. Dicit ergo: Cantate ei canticum nouum, id est imitamini uirginem Christum uirginis filium. Hoc est enim nouum canticum quod nemo potest dicere, sicut in apocalipsi dicitur, nisi illa centum xl quattuor milia uirginum qui agnum secuntur. Bene psallite ei in uociferatione. Ille bene psallit qui per bona opera dominum laudat, qui fide et moribus illi confitetur. Et hoc in uociferatione, id est in iubilatione. Deus pater in spiritu oris eius spiritus sanctus ostenditur. Sed premissis tribus personis unitas maiestatis inuenitur, cum dicitur spiritu oris eius omnis uirtus eorum in caelorum. Congregans sicut in utre aquas maris. Iuxta litteram significat dominum clausisse mare litore ne posset erumpere et terras inuadere. Allegorice aquae maris populos gentium significant. Uter uero sanctam ecclesiam designat. Uter enim fit ex pelle mortui animalis ad recipiendum aliquem liquorem, et ecclesia ex sanctis constat hominibus qui mortificant membra sua cum uitiis et concupiscentiis. Congregat ergo deus aquas maris sicut in utre, quia populos quos adunat in ecclesia sub unitate fidei et dilectionis. Alio sensu aquae maris significant amaros fluctus persecutionis. Uter uero persecutorum. Deus ergo aquas maris sicut in utre congregat, quia saeuitiam et crudelitatem persecutorum in eorum cordibus comprimit, ne tantum possint nocere ecclesiae quantum uolunt. Ponens in thesauris abyssos. Thesauros dicit sapientiae et scientiae dei in quibus abyssi repositae sunt, id est occulta et incomprehensibilia eius iudicia. Quis enim comprehendere possit cur deus per tot annorum spatia permiserit genus humanum ingredi uias suas sine cognitione dei, uel cur reprobatis iudaeis in nouissima saeculi aetate gentes ad fidem suam adduxerit, siue cur alios reprobans alios miseratur. Hinc apostolus: O altitudo sapientiae et scientiae dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uiae eius. Timeat dominum omnis terra, id est homines terram tantum amantes, quibus necesse est ut saltem dominum timeant, qui eum adhuc diligere nesciunt. Ab eo autem commoueantur omnes, id est metum concutiant ut uel sic timore supplicii a peccatis resipiscant. Inhabitantes inquit orbem, id est illi qui in mondo spem et amorem suum fixum habent, et si possent fieri in eo permanere uellent. Ab eo autem dicit iuxta de eo sub typo nabochodonosor dicitur: Nunc hic est qui commouebat gentes et conturbabat regna. Sed deus commouet ad salutem, diabolus ad perniciem. Quoniam ipse dixit et facta sunt, id est uerbum suum, hoc est filium suum genuit, et per eum omnia creauit. Mandauit et creata sunt. Mandauit per prophetas, id est adnuntiauit salutem humani generis, et creata sunt, quia per aduentum filii dei homines abiecta uetustate peccati creati sunt in nouitate iustitiae. Unde petrus apostolus dicit: Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis ut simus initium aliquod creaturae eius. Et paulus: deponentes ueterem hominem cum actibus suis et induentes nouum qui secundum deum creatus est. Dominus dissipat consilia gentium. Gentes iudicat infideles creatorem ignorantes, creaturam adorantes. Horum consilia dissipauit, quia idolatriam quam illi semper duraturam cogitabant destruxit. Reprobat autem cogitationes populorum. Populos dicit iudaeos quorum cogitationes reprobauit, quia illorum gaudium quod de morte Christi ceperant eius resurrectione adnullauit. Quem enim gaudebant se occidisse, immo dolent mortuum, quia uident eum per poenam peruenisse ad regnum. Et reprobat consilia principum. Principes dicit reges et tyrannos quorum consilia reprobauit, quia ecclesiam quam illi persequebantur per uniuersum mundum crescere fecit, eamque per patientiam coronauit, atque illi ipsos suos persecutores subdidit. Consilium autem domini in aeternum manet. Reprobato consilio hominum uiuit consilium domini. In aeternum manere dicitur, quo decreuit saluare mundum, eiusque fides in aeternum augebitur et regnum

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 65 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/65)